



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VALLIS CHALCENSIS*** IN MEXICO NOVA
CONDITUR DIOECESIS VALLIS CHALCENSIS Venerabilis Frater Iosephus Maria Hernández González, tunc sacrorum
Antistes Netzahualcoyotlensis, audita Conferentia episcopali Mexicana, ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam
distracto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua nova dioecesis conderetur quo satius provideretur spirituali bono
Christifidelium ibidem commorantium. Nos quidem, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Iosephi Bertello,
Archiepiscopi titulo Urbis Salviae et in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis
admotae postulationi animarum saluti valde profuturae libenter concedendum esse putamus. De plenitudine igitur
Nostrae potestatis sequentia decernimus. A dioecesi Netzahualcoyotlensi separamus integrum territorium, prout
praesens civili lege circumscibitur, municipiorum, quae patrio sermone nuncupantur: *Amecameca, Atlautla, Ayapango,*
Cocotitlán, Chalco, Ecatzingo, Juchitepec, Ozumba, Temamatla, Tenango del Aire, Tepetlixpa, Tlalmananco, Valle de
Chalco et partem nuncupatam *Cuatro Vientos* municipii *Ixtapaluca* atque ex ita distractis locis novam constituimus
dioecesim *Vallis Chalcensis*, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia, simul sumpta, nunc lege civili
terminantur. Sic conditae dioecesis sedem in urbe *Valle del Chalco* ponimus, ibique extans paroeciale templum, Deo
dicatum in honorem Sancti Ioannis Didaci, ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus mandantes ut ibidem
Capitulum Canonicorum, ad iuris normam, instituatur. Praeterea Ecclesiam Vallis Chalcensis suffraganeam facimus sedi
Tlalepantlanae, episcopum vero iuri Archiepiscopi ibidem subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges
temperentur. Quae praescrivimus perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Iosepho Bertello, vel, ipso a sede
absente, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiature in Mexico, eisdem tribuentes necessarias et oportunas facultates
etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito
Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc
denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die octavo mensis Iulii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus*
Nostri vicesimo quinto.

ANGELUS card. SODANO

IOANNES B. card. RE

Secretarius Status

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 12, pp. 810-811 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana